

Christianâ videtur extraneum, communi ex infelicitate difcere, & sic eam reddere duriorē. Sed certè inhumanum non eſſe receptiſſimus vſus oſtendit: ſterilitas enim, quæ etiam infelicitatis eſt genſ, & calamitates aliæ pretium augent rerum multarum. Et licet providere Magiſtratus debeant, ne in illis pretia rerum exorbitent; ita tamen taxare debent ut maiora ſint ſolitis. Unde non ſolum maius illud pretium contra juſtitiam non eſt, ſed neque contra charitatem; quia charitati non opponitur ordinata rerum diſpoſitio, juxta quam rerum pretia pro diverſitate temporum debent variari. Alias Magiſtratus, qui calamitatis tempore pretia rerum augent, contra charitatem peccarent, quod dici nequit. Et qui tunc etiam ſummo vendit pretio, ſimiliter contra charitatem delinquet, immò & qui medio, cum poſſet inſimo: per quod calamitas tolerabilis redderetur. Præterquam quòd eo tempore quibus merito ſibi conſulit, quia & ipſe vendens, quæ neceſſaria ſunt etiam carius emit, & cum neſciat quem exitum res habituræ ſint, culpandus non eſt, ſi de neceſſariis ſibi ſtudeat providere: poteſt ergo operas ſuas carius aliquantò vendere: ſicut & vendi etiam carius poſſunt, quæ magis tunc neceſſaria occurrunt, ut ſunt ea, quæ pro ædificiis requiruntur; hoc enim & rationes adductæ oſtendunt, & Doctores tradunt, cum de pretio agunt, quod ex emptorum creſcit multitudine & neceſſitate maiori. *Prope modum enim donare videtur, qui vendit rogatus, ut Caſſiodorus ait lib. 4. c. 5.* Pro quo videri Auctores Societatis poſſunt, qui de contractibus ſcribunt, & qui ex iis inter Recentiores id eleganter expromit P. Bauny lib. 1. tr. 2. c. 8. & 9. videndus item quaſt. 1. & qui alios voluerit, videat in primis P. Molinam diſput. 348. & P. Leſſium lib. 2. cap. 21. dub. 2.

152 Dico decimò, & vltimò, Indi merito compelli poſſunt ad commercium litterarum. Conſtat ex dictis, quia labor hic vtiliſſimus eſt Reipublicæ. Licet autem per alios præſtari poſſit, ut in hoc regno circa vias præcipuas factum, magno communicationis breuioris commo- do, quod providæ diſpoſitioni Excellentiſſimi Marchionis de Mancera meritiſſimi Proregis, ſicut & alia boni publici emolumenta, debetur: non tamen ad omnes poteſt vias extendi, unde pro illis Indorum ſubſidium adhibetur. Immo & ad alias ſuo labore coadiuvant ſucceſſione frequenti, ut brevis ſit labor. In iſtâ tamen brevitatem nimum poſſunt fatigari, dum pedites præeunt tabellarium equitatem incitato curſu, ut & ipſi ferè currentes ire cogantur. Circa quod Regiam providentiam & pietatem extendi æquitas poſtulat, & ut labori huiusmodi competens ſtipendium accedat. Et cum litterarum tranſmiſſio ſatis quaſtuofa ſit, magno pro illâ pretio deſignato, ſicque ingentes per annum redditus tabellario ſupremo proveniant: contra æquitatem eſt ſtrenuos eo in negotio miniſtros minima portione dimittere, & luxum ac ſplendorem ſuperuacuum foueri ſanguine puſillorum. *Ultra omnes crudelitates eſt diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Amen- tur honeſta lucra, horreantur damnosa compendia.* Caſſiodorus lib. 12. c. 13.

poſſe maiorem exigere.

Neque ad eſſe contra charitatem.

Sicut nec res alias carius vendi.

Caſſiodorus.

Aſſertio vltima de tabellaris.

De eorum ſtipendiis.

Caſſiodorus.

S. VI.

Additio circa genus quoddam ſeruitij Indorum, ab eorum originem trahentis voluntate.

153 S Vnt apud Occidentales noſtros, qui dicuntur *Ianaconæ*, quæ vox *Seruitores* ſonant, & ad varia laborum applicantur genera, jam pridem Hiſpanorum domeſtici, patrio relicto ſolo, aut domeſticorum filii, & vernaculi; in quorum domibus ac prædiis vxores ducentes, & quandoque terras ſibi colendas accipientes, videntur de illorum facti jure, quod & iidem ita contendunt, ut non liceat prædiſtis quòd voluerint commigrare. De quibus eruditè tractat Dom. Solorzanus Tomo 2. lib. 1. cap. 3. & in Politicâ lib. 2. cap. 4. & reſoluit contra aliquos iniquum eſſe eos ita tenere, ut aliò migrandi non habeant facultatem. Quod quidem à Regibus noſtris ita conſtitutum: ſed quia mandatorum talium executio aliquibus viſa eſt obnoxia periculis, ſuperſederi juſſum, donec magis expediens aliud iubeatur. De quo & D. Gaſpar de Eſcalona in *Gazophylatio Permiſſano* lib. 2. Parte 2. cap. 19. num. 7. Si ergo alicubi viget adhuc oppreſſa libertas, permiſſioni Regum noſtrorum, non mandato tribuendum. Et eſſe quidem iniquum ex dictis conſtat, quia Indi non ſunt minùs quàm alii liberi, ut Reges iidem piſſimi, iuxta Apoſtolicæ Sedis conſtitutiones, frequentiffimè clamant, de quo cap. 11. ergo nequeunt ut ſerui in domibus aut prædiis detineri.

Ianaconæ qui ſunt.

Nequit illis voluntariâ migratio prohiberi.

Obiectio diſſecta ex voluntariâ Indorum patione.

154 Dici poteſt eos ſe in hanc neceſſitatem voluntariè conieciſſe, volentes quibuſdam cum conditionibus perpetuò ſeruire. Sed hoc eſt leue, ut bene oſtendit Dom. Solorzanus ſupra. Id ego addiderim, contractum dictum à lege penitus reprobatum & nullum habitum, ut patet ex reſcriptis Regiis ab eodem adductis, quibus Indi in ſuâ iubentur libertate conſtitui. Præterea. Ut demus Indos ſic potuiſſe libertati ſuæ præiudicium inferre, at filiorum libertati minimè offere potuerunt. Cum ergo non ſolum circa parentes, ſed etiam circa filios, & vniuerſam progeniem, qui contra agunt, ius eſſe contendant, non eſt voluntarium fundamentum ſeruitutis, quod originalis peccati ſimilitudine volunt ſine termino propagari.

An grauitèr peccant Ianaconas retinentes.

Stare circa id bonam poſſe fidem cui deſerendum.

155 Sed dubium hoc loco non prætereundum occurrit, an ſcilicet grauitèr peccent cum eo onere Ianaconas retinentes. Ad quod reſpondeo poſſe excuſari bonâ fide, & bona fides poteſt facile ex vſu præſumi: quæ ſi adſit, & ſit veròſimilis ſuſpicio monitionem de iniuſtâ retentione non habituram effectum, id dicendum quod de ſeruitio personali num. 124. Bona autem fides ex eo fundari poteſt, quòd retentionis iniuſtitia, & Regiæ prohibitiones ignorentur. Sed eſſe etiam aliunde poteſt, quia licet Regiæ prohibitiones innotefeant, poteſt quis communem ſententiam allegare, legem ſcilicet non receptam à populo, non eſſe obligatoriam, & inſuper juſtitiam retentionis ſaltem eſſe probabilem: illam enim defendunt Malienſus, Beſaranus, Agia, & quod

Sententia affirmantis probabilis.

Quid circa rem totam conuenientius videntur.

quòd plus eſt, erga Indos beneuolentiſſimè affectus P. Acoſta lib. 3. de procurandâ Indorum ſalute cap. 17. quorum fundamenta, adiectis aliis, adducit Dom. Solorzanus, qui num. 45. & in Politicâ pag. 80. s. Però cumque, ea non inepta eſſe pronuntiat: addens quòd ſi hic articulus in diſceptionem permitteretur adduci, ipſe indubitanter conſuleret, ut vbi ſine magno Reipublicæ incommodo fieri poſſit, ceſſare tale ſeruitium iuberetur. Quod quidem & ego omnino ſic faciendum exiſtimo; & rationes, quæ olim executioni obſtare viſæ ſunt, jam non ſubſiſtere: ut merito debeat ſanciri, & ex juſtitia præſcripto diſpoſitio, ad executionem perduci, ſicut alia quæ pro Indorum beneficio videmus præcipi & parièr ſtabiliri. Dum autem id non fit, opinionio dictæ ſua ſit auctoritas, neque rationibus, neque exemplis, neque Doctorem patrocinio penitus deſtituta. Et nos ad alia tranſitum faciamus.

CAPVT XV.

An ſine graui conſcientiæ grauamine annua claſſium expeditio à Rege Catholico poſſit vllatenus impediri.

Non licet annuam claſſium expeditio- nem impedi- re.

Obligatio Regi Catholico- rum ab eisdem pronuntia- ta.

Damna ex retardatio- ne ſecura, quoad ſu- peralia.

Monopolia ſaltem ſunt contra charitatem.

156 D Ico vnicè, id minimè eſſe licitum, generaliter loquendo. Patet: nam Rex Catholicus, quæ Rex, debet grauius regni damnis obuiare: quæ Rex Indiarum, conuerſioni Indorum, & Chriſtiano ſtatu eorumdem incumbere, & de neceſſariis, ac etiam vtilibus providere: Atqui omnibus iſtis deest, dum claſſis expeditionem non curat: ergo cum materia ſit non ſolum grauis, ſed grauiffima, etiam illius graue poterit eſſe delictum. Maior eſt certa, & ſine controuerſiâ apud Doctores, & ita Reges noſtri talem obligationem agnoſcunt, & ſic teſtantur ſæpiùs: audiendi tamen in Reſcripto, quod habetur Tomo 2. Pagina 1. ſic dicentes: *Nos zelando el ſeruiſio de Dios N. Señor, bien, provecho, y aliuio de nueſtros ſubditos y naturales, y à la paz y ſociego de los pueblos de la Nueva Eſpaña, y Provincias de yſo declaradas, ſegun ſomos obligados à Dios, y à ellos, paracomplir coneloficio, que de Dios tenemos en la tierra, &c.* Quòd autem ad obligationem promouendi fidem inter Indos ſpectat, jam eos audiuiſſe ſic ingenuè proteſtantes cap. 3. in Corollario. Sed hic tuo loquantur idiomate, ut fidelius percipiantur, dum ſic aiunt: *Segun la obligacion y cargo, conque ſomos ſeñores de las Indias y Eſtados del mar Oceano, ninguna coſa deſeamos mas que la publicacion y ampliacion de la Ley Euangelica, y la conuerſion de los Indios à nueſtra ſanta Fe Catholica, &c.*

157 Iam Minor oſtenditur. Nam retardatione claſſis res multæ ad vſum neceſſariæ, aut valde conuenientes deſiciunt, & quæ apud nos ſunt carius emuntur, inducã raritate. Quæ ratione monopolia damnant communiter Doctores, & mortale dicunt eſſe peccatum, quia ſi non contra juſtitiam, contra charitatem tamen delinquitur, ut videri poteſt apud P. Molinam diſput. 345. in fine. P. Leſſium lib. 2. cap. 21. num. 151. & P. Bauny eodem ſecutum lib. 1. quaſt. 6. dicto 4.

poſt Cardinalem Lugo diſput. 26. de Iuſtitia num. 78. P. Amicum diſput. 21. de Iuſtitia, num. 281. Hoc autem damnum pauperes præſertim tangit, & ad res ſacras extenditur, pro quibus linæa, telæ, cera, thus, & alia multa deſeruiunt. Quæ omnia quando hæc ſcribo veriſſima comprobantur: vna enim ceræ libra octo regalibus emi ſolita, nunc quadraginta conſtat, & multis in locis plus multò, ſicque alia. Non poteſt ergo de damnis ex retardatione huiusmodi dubitari.

158 Quod verò ad negotium fidei ſpectat, eſt pariter manifeſtum: eſt enim illud omnium grauiffimum, & ita inceſſantem providentiam exigat: nec poteſt dici diligenter providere, qui per annum ceſſat, cum ſit ingens ſpatium. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformatione, de reſidentia Prælatorum agens, ſic ait: *Interea meminerim diſceſſuri, ita omnibus ſuis providendum, ut quantum fieri poterit ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant.* Sic cum præmiſſiſſet, quia damna ex abſentia videntur futura, ſi diutina illa ſit, jubet, quando vltra cauſas ibidem aſſignatas futura eſt, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum, tres meſes excedere, & haberi rationem; ut id æquè ex cauſâ fiat, quòd an ita ſit, abſcedentium conſcientia relinquit, quam ſperat religioſam & timorâtâ fore, cum Deo corda pateant; cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo teneantur. Verba Concilii ſunt: quòd quidem vltimè ſpatium non breue iudicauit, ad breue ſiquidem licentiam indulget; *Quoniam qui aliquantisper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia, non videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt.* Quæ etiam ſunt illius verba. Quòd autem reſidentia in Epifcopo facit, in Rege noſtro ſupereminens providentia requirit, ut illa non ita ceſſet, quòd intra annum illius effectus aliquis non deprehendatur; ſi minùs damna non leuia ſubſequentur.

Damna in ſpiritualibus.

Annu eſt ingens ſpatium.

Concilium Trident.

159 Quod roboratur ex eo quod cum multis Auctoribus tradit Dom. Solorzanus Tomo 2. lib. 3. cap. 2. num. 40. & in Politicâ pag. 509. s. T hablando. Reges ſcilicet Catholicos per conſeſſionem Sedis Apoſtolicæ, de qua cap. 1. ipſius Apoſtolicæ Sedis Legatos effectos, quia illis eſt Indorum conuerſio commiſſa, & ampliffima conceſſa poteſtas ad Indicæ Eccleſiæ foundationem: & Dom. Reyaa initio Operis de Perſectio Prælato cum Regali Conſilio Indiarum loquens. Quòd ut, in rigore loquendo, ita non ſit; id tamen ſatis exprimit eorum obligationem in ordine ad id, quòd prædicto titulo volunt Auctores dicti declarare. Quòd ſcilicet aut Legati ſint, aut Legatorum adinſtar; & ita Legatorum curam numquam ipſis deſuturam; unde & debent ſupra Epifcopos vigilare, & ita præſentes eſſe ſpiritu, vbi illi corpore; nec præſentiam talem per annum ſubtrahere effectibus comprobaram. Cum etiam in claſſe Indicâ præſentationes ſoleant Epifcoporum tranſmitti, aut Pontificiæ Bullæ confirmationis, ſi non & ipſi veniant Epifcopi. Quò in genere dici nequit quanta experiamur incommoda, Cathedralibus Eccleſiſtis Paſtorum ſolatio diutiſſimè viduatis. Nec ſit ſatis ex eo quòd nauis aliqua cum Regiis ſoleat litteris mitti: tales enim minùs ſecuræ ſunt; & quæ magni momenti res habentur, non ſolent frequentibus earum exponi periculis. Unde hoc providentia

Ex eo quòd Reges Catholici, Legati Sedis Apoſtolicæ in Indijs ſunt, pro Aſſertione arguuntur.



tiq̄ genere satis non fit prægrandi isti obligationi. 160 Et mihi quidem indubitatum est Reges nostros circa hoc securâ conscientia procedere, quia iuxta allegata ab iis, ad quos talis spectat expeditio. Videant ergo illi quomodo in hac parte se gerant, quibus incumbit Regiam exonerare conscientiam, ne proprias aggrauent, malorum ingentium, de quibus est dictum, auctores; timeantque formidabilem Christi sententiam *Matth. 18. v. 6.* dicentis: *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Sic, sic meretur demergi, qui causâ est damni spiritualis in pusillo vno, ut scilicet molæ asinariæ adstrictus in abyssum inferni demergatur. Quid ergo de illo erit, qui complurium temporalium ac spiritualium est causâ damnorum? Sic arguit D. Ambrosius; *Quod si is, inquit, qui unum scandalizauerit, mola circumligatus iactari debet in mare; quid de te pronuntias, per cuius scelus omnis anima sanciat a est?* Huic certe non asinaria mola suspensâ ad collum, sed omnibus excelsior mons, ut pœnâ pondus, peccati ponderi reddatur æquale, Indicâ in multitudine omnium maxime scandalizanti pusillos, jam feliciter credentes in Christum; & infeliciter forsitan, sublati spiritualibus prædiis, defecturos. Sed meliora Deus, quando neque hostibus par est errorem istum orare.

CAPVT XVI.

An officia honoraria in Indijs vendi licet à Rege Catholico possint.

161 **D**ico primò. Tot sunt Doctores, & quidem non contemnendæ auctoritatis, qui licitam dicunt officiorum venditionem secundum se consideratam, & ita praxis huiusmodi venditionis inualuit, ut licet vnus aut alter ex Recentioribus contrarium teneat, non possit de eximia talis sententiæ probabilitate dubitari. Videndi illi apud Dom. Solorzanum *Tomo 2. Lib. 5. Cap. Vnico. num. 99. & seqq.* & in Politicâ *Lib. 6. Cap. 13.* Dianam *Parte 3. Tract. 5. Resolut. 108.* P. Thomam Sancium *Tomo 1. Consiliorum Lib. 2. Cap. 1. Dub. 37.* Cardinalem Lugo *Tomo 2. de Iustitia, Disput. 34. num. 24.* Eligium Bassæum *V. Emptio num. 8.* Pharaonium *Tract. 2. Sessio 21. Casu 5.* qui eandem amplectuntur, & nouissime Ioannes Pontius in *Cursu Theologico Disput. 59. Quest. 1.*

162 Communis ratio est, quia sunt talium officiorum domini, & ita de illis disponere possunt, si id esse vtile iudicauerint. Quia tamen sunt qui non dominos, sed dispensatores agnoscunt, ex eo etiam potest sententia ista probari. Nam Principes supremi habent dispensationis amplissimum jus, prout scilicet conueniens esse Reipublicæ iudicauerint: ergo & per venditionem, quia illa vtilis esse potest; sicut tutor, etsi dominus honorum non sit ad pupillum spectantium, disponere tamen de illis potest vtilitatis ratione permotus, & eadem comprobata.

Ratio ex penâ dispensandi facultate.

Ratio ex dispensandi facultate.

Ratio ex dispensandi facultate.

Ratio ex dispensandi facultate.

Ratio ex dispensandi facultate.

litem venditionis admittant, conuenientiam negant, ut videri præsertim potest apud P. Lessium *Lib. 2. Cap. 32. Dub. 4.* & P. Fagundez de *Iustitia Lib. 5. Cap. 23. num. 7.* Non potest autem aliquid simul esse vtile, & disconueniens.

Sed hoc non vrget. Quia Doctores non negant aliquando esse conuenientiam posse; alioquin secum ipsis eorum dicta pugnant: dicunt autem communiter, & ut in plurimum non esse conuenientem, & ita sine magnâ consideratione non esse ad illam deueniendum. Est autem inter illos non vnus circa hoc sentiendi modus: aliqui enim conuenientiam in eo specialem agnoscunt: pro quo videri potest P. Azorius *Tomo 3. Lib. 8. Cap. 7. Quest. 3.* P. Fillucius *Tomo 2. Tract. 34. Parte 2. Cap. 2. num. 44.* Corduba in *Summa Quest. 117.* quos adducit, nec reprobatur Diana *supra.* Et Cardinalis Lugo *supra* etiam *num. 27.* bene statuit pro regulâ hoc ad prudentiam Principis cum consilio virorum prudentium ac timentium Deum spectare, qui de venditionis conuenientia iudicabunt.

164 Dico secundò. Assertio præcedens ad Indias potest cum eodem gradu probabilitatis extendi, & fortè majori: Quia cum in illis homines locupletiores sint, maior inde vtilitas potest accrescere ad occurrentium necessitatum subleuamen, minora etiam patiuntur grauamina quàm in his, qui in Hispaniâ degunt, qui cum ad contributiones frequentes adigantur, minorem reportant fructum ex officii pretio comparatis.

165 Dico tertio. Officia iurisdictionem habentia vendi etiam possunt à Regibus Catholicis. Sic citati, si nonnullos excipias, contra quos ingeniosè philosophatur Cardinalis Lugo *num. 28. & seqq.* Probatur autem ex eodem fundamento, quod vel hoc probat, vel nihil. Vbi tantum dici potest periculum in venditione subesse tali, quia iudicaturam emens, ut pretium à se datum compenset, iustitiam vendet, & etiam iniustitiam, si cum emolumento futurum sit. Quod certe non vrget: cum supponamus venditione talè non nisi dignis hominibus faciendam, à quibus nihil timeri tale cum fundamento possit, sicut in aliis est officiis asserendum, in quibus etiam simile periculum esse potest. Et quidem multi plus tabellionem, quàm iudicem timent, cum à fide instrumentorum maxima quæque iustitiæ momenta dependeant. Vbi & conuenientiæ ratio afferri potest, de qua P. Azor *supra*, quod scilicet emens officium, cum moderatione procedet, ne simul, si secus egerit, & officium perdat & pretium. Et cum venale officium sit, vereri meritò potest, ne Princeps facile contra se credat obiecta, ut nouum emolumentum ablatione officij, & venditione iteratâ conquirat.

166 Confirmatur Diui Caroli Borromæi exemplo, qui Vritano Principatu vendito, pretij summam vno die est pauperibus dilargitus: & tamen Principatus talis iurisdictionem habebat, sicut & Reges nostri vasallagium vendunt, cum Titulo Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Vicecomitatus, & similibus, vbi licet discrimen aliquod esse videatur inter Titulatos istos, & inferiores iudices, quod Cardinalis Lugo sapienter expendit: non tamen absolute conuincit, sed maiorem aliquam conuenientiam probat, quod est

præcluditur, quia esse in eo vtilitas potest.

Regula in eo seruanda.

Assertio 2. pro Indijs idem statuent.

Assertio 3. pro habentibus item iurisdictionem.

Vulgaris de vendenda iustitia obiectio diluitur.

Exemplum D. Caroli vendentis Vritanum Principatum, & alia Regum nostrorum, vbi de Titulatis notandum aliquid est.

est citati Auctoris intentum. Et quidem cum ille etiam existimet vasallorum dominum posse officia vendere, siiple vasallagium emit, suspicio esse potest, quod sit illa etiam, quæ iurisdictionem habent, venditurus: ergo non euitatur inconueniens, nullumque est inter officia prædicta discrimen: possunt igitur vendi à Rege, vtilitate dispectâ.

167 Dico quartò. Assertio præcedens etiam respectu Indiarum locum habere potest. Probatur ex dictis circa illam, & circa secundam. Item à simili. Nam Auditores Regij nequeunt intra Prouinciam matrimonium contrahere, sicut neque eorum filij: quod ita seuerè leges prohibent, ut ex solo tractatu pœnâ amissionis officij subeant. Cuius ea est ratio, quod scilicet iustitiam non ceaseantur rectè administraturi, carnis & sanguinis respectibus retardati. Quibus non obstantibus, licentiæ ad hoc frequenter conceduntur pretij non leuis intuitu, quod seruitium dicitur: & ita in Regali Audiencia Limanâ maior Auditorum pars huiusmodi potitur indulto. Quod ergo esse inconueniens poterat, pretij exhibitione sopitur, quia vtilitas ex venditione non contemnenda deprehenditur: cum tamen in ordine ad exercitium iustitiæ per idoneos ministros leges prohibitiuæ seruentur, & ita iudiciale aliquid vendi est manifestum. Ergo & in venditione officij pariter dici potest. Nec dicas, licentiâ tales iniuste dari; id enim dici nequit absolute loquendo: quia scit Rex potest legem dictam abrogare, ita & in eadem dispensare. Dixi, *Absolute loquendo*, nam in casu individuali videndum attentè quibus concedatur indultum: grauiâ enim ex huiusmodi matrimoniis incommoda oriri experientia monstrauit, & merentur tales ut in solitudinem à cognatis, asperam licet ipsis, transferantur.

Assertio 4. idem pro Indijs firmans.

Ex matrimonio Regiorum Senatorum validum argumentum.

Pro illis licentiâ iniuste conceduntur.

Assertio 5. negans in officiis circa Indos.

Neque ex stipendio persurgium.

Sequeretur sine illo seruire, quod proprium Turcis.

pugnent duæ istæ maximæ orbis Monarchæ. Pro quo ita scribit P. Adamus Contzen *Lib. 1. Politicorum Cap. 16.* *Dno sunt hoc tempore potentes Monarchæ, Hispaniarum Rex, & Turcorum Imperator: diuersa studia vtriusque, hunc tyrannum, illum legitimum Regem ostendunt, Hispanus Academicis, arte bellicâ, navigationibus, plurimo sumptu subditos exercet, ad magna excitat, & raras opes ad Principum dignitatem, ad nobilitatis splendorem, animos alendos ac firmandos impendit. Orbanides vero insidiâ, pauerie, seruitio, tot populos premit: Timariotas, & Ianizaros, Prouinciarum spoliis saginat. &c. Quid ergo ita Hispano magis indecorum Imperio, quàm si tale quid dici possit, Gubernatores scilicet stipendio fraudatos Prouinciarum Indicarum spoliis saginari? Pro quo multa alia dici possent, sed pietatis isthæc satis; quæ si absit, inutile fuerit dies & noctes Tullios, & Demosthenes declamare. Videatur Illustrissimus Ioannes Zapata *Parte 2. Cap. 18. num. 5. & seqq.* vbi cum multis potestatem concedit, conuenientiam negat, & tres conditiones apponit, quæ quia rarò adesse possunt, venditio regulariter esse solet iniusta. Vna ex illis ad salarium spectat, de quo dictum. Pro quo & Pontius *Disp. 59. q. 1.**

CAPVT XVII.

Reges Catholici ut possint tributa Indis imponere.

170 **D**ico Primò, id stare licite posse: pro quo specialiter videri potest dudum citatus Antistes *Parte 2. Cap. 19.* Constat, quia vasalli sunt, & ita Regi debent pro necessariis ad commodam administrationem regni succurrere. Circa quod sic D. Ioannes Chrysostomus *Homilia 23.* Apostoli præceptum expendens ad *Rom. 13. v. 6. & 7.* *Propterea ab antiquis temporibus communi omnium sensu Principes à nobis sustentari debere visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes, communia curent. Quod si Paulus tunc, cum Gentiles adhuc essent Principes, ista præcepit, multò magis oportet ea fidelibus exhibere. Sic ille. Verba Apostoli sunt: Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Vbi tributi præstiti geminam rationem induxit: quia scilicet Reges Dei ministri sunt bono publico destinati. Seruientes. Ut quasi aliis, qui vtiliter ex conuentione seruiunt, sua debeat merces congrua & opportuna persolui. Nec seruitium quodlibet, sed continuum designat Apostolus: verbum enim Græcum *συνεχόμενον* significat continuam diligentiam & inuensam curam, ut Dei loco bonis sint in tutelam, malis in uersionem, ut docet P. Cornelius adnotauit. Et D. Augustinus *Lib. 4. de doctrinâ Christianâ Cap. 29.* vno verbo expressit, pro *Seruientes* reddens *Perseuerantes.**

P. Adamus Contzen. Illorum imperium tyrannicè, legitimum vade probetur.

Ioannes Zapata.

Assertio 1. tributa posse in his imponi.

D. Ioan. Chrysost. sed non secundum Brixij exclamationem. Rom. 13. v. 6.

Duplex ex Apostolo ratio, Regum obligationem ostendens.

P. Cornelius.

D. Augustinus.

Robur aditum ex D. Paulo v. 7. & quomodo sit debita Regalis curæ, ob varios titulos.

171 Pergit D. Paulus, & sic infert: *Reddere omnibus debita: Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal.* Quod sic construendum iuxta citatum Interpretem, subintellecta supplendo: *Reddere omnibus debita: Cui tributum debetur, tributum reddite: Cui vectigal debetur, vectigal reddite.* Reddant ergo Indi: sed continuam illam, diligentem, & inuensam curam sibi præ aliis debitam experian-